
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

Tolle 1

De
PROTERVIA QUADAM PHILOSOPHICA
ORATIO
PRO
INTRODUCTIONE
AD PROFESSIONEM LOGICES ET METAPHYSICES

In

Almo Gymnasio Gedanensi

HABITA
Ad diem VI. Septembr: S. N.

â

M. HENRICO NICOLAI DANtiscano, Gymnasii Patrii Professore Philosopho.

DANTISCI, Litteris RHETIANIS, Anno M.DC.XXXI.

πεντάδι

NOBILISSIMORVM & perquam MAGNIFICORVM VIRORVM

DN. JOHANNI CZIRENBERGIO,
Præsidenti.
DN. EGGERTO â KEMPEN,
Proto-Scholarchæ.
DN. TIDEMANNO GIESEN,
DN. EDVARDO RÜDIGER,
DN. GUALTHERO ROSENBERG,
Cœteris Dnn. Scholarchis Amplissimis.
Mæcenatibus & Patronis suis observanter colendis.

S.

OPeræ ne facturus essem pretium, NOBILISSIMI & perquam MAGNIFICI VIRI, Patroni pl. observandi, *si tenuem ad qualemcunq; ingenii moti auram mihi natam opellam luci committerem, sæpe multumq; anxius mecum dubitavi. Nam & materiem exiguam, & laborem in tenui præter* Mantuani vatis *mentem, difficulter ad gloriam esse valentem in publicum dare, periculi plenum arbitrabar, & multorum tamen petitis id quærentibus proterviter ad ultimum negare velle præter humanitatem videbatur. In altero judicia oculi fortasse Saturnii sub-*

nij subverenda erant, alterum contationem cœpti quotidie in longius extendebat. Rumpendam tamen tandem æstimavi moram, potiusq́; quæsitis amicorum annuere destinavi, quam conceptas spes vel eludere vel diutius cum tædio morari. Erutum ergo mihi, quod latere cupiissem, ignobile opus, & velut gallinaceus Euclionis situ chartei pulveris excussum, relectnm, atq́; ut avido fœneratori improbus nũmus occupari voluit potiꝰ mihi, quam condi. Eum qualecunq́; Vest: Amp: Nominib. *sacrandũ & censui & censere pergo.* Tuo, Magnifice Præses, *qui præ cæteris exiguum operis Tibi probatum iri significasti,* Vobis cœteris, Amplifs. Scholarum Patres, *ut pro honorata in Gymnasio Vestro mihi destinatâ functione publicus gratitudinis extaret cippus, ad* μνημοσύνης *aram suspendendũ hostimentum. Nec enim furtive pro ijs quæ in publico sunt, gratias agendas putavi, aut ad aurem, Cum* inficiandi hoc genus sit, non verecundia, atq́; , ut Seneca ait, ingratus existimetur, qui remotis arbitris gratias agat. *Tum primitiæ operum è prisco ritu, nullis aliis sacræ esse debuêre, quã quorum auspiciis cœpta actorum in alma Vestra Vrbe mihi sunt inchoata. Vos, quod Vestrum dudum fuit destinatione,* Vestrâ, *id est, explicitâ fronte suscipitote, & aut ut* Æsculapius, *redintegrate ad vitam, quod per me quidem fuisset mortuum, aut ut* Plato *juvante* Vulcano, *liberate infamiâ, si pervenire per Theoninum dentem ad famam non liceat. Musas nostras proporrò animare pergitote, ut per Vos saltem vitam occupare valeant, quæ aut mortes aut exilia passim subire coguntur. Valete* Amplissimi Reipublicæ Patres, *Magistratui honori, cæteris emolumento: Votisq́; fruimini etiam ad invidiam felicibus. Gedani, è Museo. 4. Non. Octob. An. 1631.*

V. V. MM. & AA.
Officiose colens

M. Henricus Nicolai
Log. & Met. P. O.

Onditionem præsentium rerum, in quibus versamur, Audi. Intuentibus nobis minimè mirum est, & satietatem operæ in artibus sectandis & desiderium rerum aliarum agendarum occurrere. Ut omittam publicas illas orbis terrarum portiones, in quibus aut planè exulant litteræ, aut pessimè habitant, cum & *Asia*, olim portio terræ cultissima, hodie sit rusticior, & *Africa* tota Barbarica, *America* inhumanior: vel in solâ *Europâ*, in quâ Musæ sedium sibi fixisse videbantur receptacula, quam abjecte hodie habeantur, quotquot è litterario sunt ordine, quotidie malo cum suo experiuntur. *Etenim* & qui indole & virtutibus inter mortales præstant, rarissimæ hodie sunt in hominibus gemmæ, & sæpe despicatui habitæ ab ingeniis, quæ ad servitutem facta, liberis tamen utplurimum imperant. Quibus olim ad gloriam erat, litteris & mereri dignitatem & habere, *virtutis insuper alimentum perpetuum honos*, in spem dabatur, ut illius radiis, ita splendescerent tandem mentes eorum, ut exacta naturæ crederentur opera, veluti obscuriores gemmæ â circumposito auro lucem optimis parem accipiunt: ij non sine scelere contumeliosè passim in furioso hoc Martialis genii seculo habentur, & genere inhumanitatis noxiosissimo non extolluntur: imo

Camerar: C. 3. c. 45.

Barcl: l. 1. Arg.

Valer: M. l. 2. c. 2.

fortunâ perversam instituente rationem, in multis gẽtibus prope in gloriã habetur, arceri illos ê regionibus aut in sordibus pulveribusq; obsitos jacere. Qui *follitim* olim, *Comici* verbis, argentum ductitabant, ijs satis hodie est peratim: qui corruere olim potuissent divitiis, illis hodie cum argentatâ eundum est querimonia & ad paupertatem se protractos dolere necessum habẽt. Publicas opes in Martialem istam furiam degerente fortunâ, & quæ piæ utilitati sacra majorum vota destinavere, in nescio quos feralium machinarum administros profundente secli sævitiâ. Neq; adhuc dum, ut loquitur *Satyricus*, fortuna *communis ad suam cœpit redire pœnitentiam.* Quam ævi injuriam quoties cogitamus, fieri aliter non potest, quam ut aliud atq; aliud, varia nobis versantibus, sese animo insinuet. *Erunt qui increpandam* fortunæ intemperiem cum *Cæsare* existimabunt, quod stipendia Musis sacrata devergere sinat ad *impium militem, tarde & fortasse nunquam reversura. Alii* ridendam ejus cum *Democrito* putabunt insaniam, quæ insolentem ludum ludere pertinax transmutet incertos honores mox huic mox alij vitæ statui benigna. Qua ratione & ê Minervali nostro seculo sperato factum esse Martiale insperatum. *Non deerunt qui* quicquid hujus insolentiæ est, magno & *Cratetis* quodam spernendum esse animo ingerent, atq; ut ille apud *Apulejum*, cum â *Diogene* laudes audijsset Philosophiæ, qvo pacto & Philosophi ratio & oratio tempore jugis sit, & auditu venerabilis & intellectu utilis, rem familiarem omnem abjecit velut stercoris onus labori magis quam usui, exinde cœtu facto maximum exclamavit, Craces, Crates, te manumittes: sic hi amorem scientiæ ęstimabunt, ut prę eâ reliqua sterquilinij atq; oneris

Plaut: | Pla: Pseud. a. 1. s. 3. | Petron: in Saty. | Passerat: præfat: p. 249. | Horat: l. 3. od. 29. | Apul. l. 2. flor.

oneris loco habeant, ea quidem libertate, ut nullius cupidi, libere omnium quoad vivant, beatè vivant. *Dicent cum historico*, magnæ indolis esse sperare semper: sperandum, ut soles aliquando incipiant ire liberius. Dicent cum *Lyrico*, Illum potentem sui lœtumq; posse degere, cui liceat in diem dixisse, vixi, cras vel atrâ nube polum pater occupato, vel sole puro, non tamen irritum quodcunq; retro est, efficiet, neq; diffinget infectumq; reddet, quod fugient semel hora vexit. *Dicent*, optime miserias ferre qui abscondant, nec ullam tàm familiarem infelicibus esse patriam, quam solitudinem, statusq; prioris oblivionem. Dignum esse omni malo qui erubescat fortuita. Apponent ex festivissimo illo *Arbitro*, quà hoc, *verè arbitro*, Amorem ingenii neminem unquam fecisse divitem. Litteratos infra pecuniam esse positos, nescire se, quomodo bonæ mentis soror sit paupertas. Ruinosis horrere facundiam pannis, atq; inopi linguâ desertas invocare artes. Exemplis jam tùm vulgatum esse pergent, doctissimos plerosq; Viros pessime muneratos victitasse assibus & libellis, *non aulis auri onustis*, ut *Comicis* utar verbis. C. Fabricij, Cn. Scipionis Mar. Curii Romanorum filias ob paupertatem de publico dote ornatas ad Viros ijsse. Publicolæ & Agrippæ funera ob tenues opes collatis sextantibus ab populo Romano esse adornatas. & in hanc rem sex centa teferri posse. Adeò in litteratos publice malignum ingratumq; semper mortale genus fuisse: Omnes umbram rectæ indolis perdidisse, qua terrarum parte fera regnet Erynnis; in facinus jurasse putes.

Flor: l. 4. c. 2.

Horat: l. 3. od. 29.

Cur: l. 5. c. 5.

Petron: Arb: Saty: p. 36.

Lanss: Or. c Italiam.

Cunæus. satyr.

Hæc &

Hæc & quæ similia in solamen tetricitatis seculi, sublevandam Musarum passim profugarum mœstitiam deduci queant, sonabunt mentes eorum qui πανσοφίαν aliquam & scientiarum orbem animo complexæ dolebunt, quod destinata salubriter, omni ratione valentior evertat fortuna. Feliciter tamen cessit, quod, etiam dum parricidialia passim bella homines in se stringunt, & vel Midæ Cræsiq; opes atq; omnis Persarum copia in Martialem istam egeruntur furiam, Deus suscitet qui Musarum delectati cultura earum patrocinium suscipere atq; ut penes se habitent, procurare sustineant. Ut de externis nil attingam vel ea quæ ad manus sunt, videamus. Vidimus hactenus Musarum nostrum habitaculum per casus varios disjectũ, lancinatum, & Minervæ sacra male habitantia: At *Nobiliss: & perquam Magnif. almæ Vrbis Senatus* pro Patrio quo in Musas fertur, affectu nihil sollicitius habendum duxit, quam ut de commodâ earum restitutione seriò cogitare auspicaretur. Eâ de gratiâ prospiciendum ratus & de Viris, quibus flos doctrinæ delibatus esset, ejusq; consultissimam aperire viam possent, & de præmiis, quibus sollicitarentur de publico ij, qui Musas de patrum veterno excitare quirent. Nec dubitamus, cum adeò eas non despiciant *Ampl. Reipub. Patres*, ut sæpè admittant in secretum, referantq; deinde amœnissimo ingenio, quæ illæ dixerunt: majora adhuc illis destinasse, sed quæ in effectum dare iniquitas seculi nondum permittit. *Namq; & consilio optime* jacto non oportet nimium fidere, cum ut passim, sic & hic, suam habeat casus & fortuna rationem. Ast *ut in maleficiis cogitata judicantur scelera, nondum perfecta*, & ad pœnam sufficit, meditari punienda; sic ad laudem sa-

Curt: (margin, beside "ne valentior evertat fortuna")

Petron: in Saty. (margin, beside "quitas seculi nondum permittit")

Apulej: l. 4. floiid. (margin, beside "ut in maleficiis cogitata")

dem sa-

dem satis est conari predicanda. Omnibus enim bonis in rebus, ut Apulejus ait, Conatus in laude, effectus in casu est. Sperare nos jubet effusus *Amp: Senatus* in litteras affectus, ut cum In omnes sit prolixus, tum in addictos earum excultores futurus sit perpetuus, quæq; litterariis operibus referri præmia negat injuria temporis, ea in posteriori duplo resarciantur hostimento. Verum prolixius fortasse quam putaram, me in hanc immisi materiem: Referam me ad id, cujus gratia potissimum hanc inscendi cathedram. *Prisci moris* vetustate receptum erat, ut in ædes alienas nemo ingrederetur, nisi qui fores ante pultasset, & si quis recta introrumperet, non satis civilem vitæ rationem tenere existimabatur: imo Solonis lege Athenis fustibus cõtra eum agere licebat: Ita ab atavis usq; recepto more ad nos deductum esse nostis, ut nemo in alterius suffectus officium, admittatur, nisi qui præludii quoddam experimentum exante in publicum dederit atq; exercitationis loco thema aliquod selectum ê ceratinis in lucem extulerit. Ei ritui satis faciendo hunc locum me capessentem inhibuit paulisper & *Magnif. Vester Consessus*, & rei occupandæ deterruit difficultas. Enimvero ut pro amplitudine auditorii prolixa mihi suppetat Oratio, optare magis habeo quam sperare cũ hic maximè claudar, ubi me facundissimum esse percuperem, verumq; sentio, quod ajunt, *nihil tàm prosperiter datum esse divinitus homini, quin ei aliquid* sit admistũ difficultatis, ut & in amplissima quaq; lœtitia subsit quę piam vel parva querimonia, conjugatione quadã mellis & fellis certe perpetua, *ut ubi dulce, ibi & accidum invenias.* Quando tamen *& leges mori serviunt* secundum *Comicum*, & *ut in ætatibus authoritatem, sic in exem-*

l. 4. flor.

Passerat. præf.

Apul. l. 4. flor.

Petron. sat.

plis com-

Plan: trin: a. 4. f. 3. Curt: l. 8. c. 5.

plis commendationem habet antiquitas, deflectendum non est de spatio curriculoq; majorum, *cum gravis esse soleat inveterati mores externa mutatio*: sed prisco litandum usui carpendum aliquid est exotericæ exercitationis, & pro spatio horulæ in elucidarionem dandum. Selegissem materiem aliquam, de *Scholis*: verum quia & ante hac jam de ea verba ad Vos facta audiistis, & alio tempore fortasse uberius de illa sermones serendi dabitur occasio, missa illâ pro Professione mihi assignata selecta mihi *dicendi materia, Philosophica illa.* Dicam nimirum *de protervia quadã Philosophicâ, quâ oscitanter alii, alii impie, obstinate plurimi, lupine alii & perverse philosophãtur*, unde mirum non est, si odia plurimi struant in nobilissimam disciplinam, & quæ vitia Professorum sint, ipsi Philosophiæ per calumniam assuantur, si aversi multorum ab ea animi, multi conjurationem in eã Catilinariam meditati esse videantur. Quâ de re dum vobiscum sermocinor, enixê â vobis, Aud. Honoratiss. contendo, eâ benevolentiâ, qua ante me alios prosecuti estis, & me complecti sustineatis, & quam gratiam aliis fecistis, eandem prothymiam in me patienter per breviculum temporis spatium audiendo non negare velitis. Fecero intelligatis, non Philosophiam, sed proterviam quandam Philosophicam â musteis nonnullis miscellionibus usurpatam, errores miscere, principiis fidei contra ire, omnia deniq; chao uni protervè immittere.

Apul: de DEO Socr.

Aristippus ille Cyrenaicæ sectæ repertor, & quod ipse malebat, *Socratis* discipulus, â tyranno quodam rogatus, quid ipsi Philosopiæ studium tàm impensum tãq; diutinum profuisset, ut cum omnibus respondit, hominibus

minibus securè atq; intrepidè fabularer. Optarem ego, mihi tantum esse operæ positum in Philosophia, quo secure atq; fidenter de proposito ad Vos verba facere possem. Quanquam autem id de me non sentio, pavide tamen potius & subverenter ad Vos dicã, quam ut cum *Ausonio* spongiam poscam, quam impingens opus equi male spumantis absolvam. Reperio primum in *protervia illa* quam dixi, *Philosophica*, *supinam quorundum oscitantiam*, quâ fit, ut post posito vel in supinam procrastinationem rejecto omni Philosophiæ accuratiori studio perfunctorie admodum philosophari incipiant, rati non melius eo labore se defungi posse, quam ut sicut *Diogenes* cursitando, obiter quasi & ὡς ἐν παρόδῳ cibum rapiebat potius quam capiebat, sic illi raptim & fugientes veluti oculos in Philosophiæ sacraria jaciant *noctuinos aliquando*, & alioquin jam fessos ad sensationem, atq; ad fulgens scientiarum lumen obtenebrantes. *Complures hinc reperire est, qui parum pensi habentes*, quod â scitissimo *Comico* dictum est, *nave agere oportet quicquid agas, non ductariè*, non *Satagios* in eâ, ut cum *Senecâ* dicam, sed veros & strenuos ignaviones se præstare volunt, qui neq; seriò agunt quod agunt, neq; alio modo quam quo mortui solent inter vivos ambulare, agere destinârunt. Cum interim *in supinitate atq; inscitia*, quã ipsi vocant simplicitatem, ignavo torpescere otio eligentes tricas, plicas, affanias, Sardos ajunt esse, quæcunq; febrientium Philosophorum olim in lucem dedere dicibula. Difficilia ea quidem interdum, sed inani fœta subtilitate, quæ nec scisse pro sint, vec ignorasse unquam nocuerint. At misellos literiones si juvare se postulent, juvemus sane, & quibus nil nisi tricas sonuisse lubido

Auson: io. edyll.

Lipf. l. 2. V. L. c. 9. Lipf: l. 2. elect. c. 3.

Scalig. ex.

eſt, ducamus pauliſper ſi fieri posſit, in erectius ſupercilium. Nam quæ de difficultate jactitant, Delphicis vaniora oraculis ſunt enunciata. Enimvero inverſione digna ſunt, ut eo ipſo quod difficiles tricas esſe fatentur, pulcri ſpeciem ijs inesſe tacite largiantur, ſi vera eſt *Gracia* mendax cum ſuo diverbio. Si difficilia hæc, pulcra ergo: Quanquam *nil tam difficile natura molita eſt, quo virtus atq; improbus labor non posſint eniti,* ut egregiè nobiliſs. hiſtoricus. Neq; enim quia acerbior objecta eſt *Herculi* ſexta ærumna, ideo eam liquit, neq; quod nobis moram obfundit feſtinantibus, & ad deſtinatum cognitionis finem pauliſper moratur properantes, ſtatim ut odioſum eſt amovendum. *Delitias* facimus, *Aud.* ſi quacunq; ingredimur, cylindro æquari nobis ſolum poſtulamus, & Sybariticum *Ca. Caligulæ* novamus exemplum, ſi longe profecturi cum ſalebroſum pulverulentumve ſe offert iter, velli nobis ſcrupulos & verri conſpergiq; vias jubemus. *Videre eſt ex oſcitantia illa rancidas ac aniles interdum enatas ſententias,* quibus *alius* animum noſtrum quo nihil divinius in terris conſtituit deus, mortalitatis intortat laqueis: *alius* rationem quâ maxime â brutis diſcernimur, inter humanas mentes & beſtias dividere proponit, & quæ ſimulacra atq; idola rationis in his invenit, pro ratione ipſa exoſculari non dubitat. *Reliqui* qui burras nugasq; ſtatim clamant, ſi quid ſono horridiori in ſcriptis Philoſophorum legerint, delicatos ſe esſe oſtendunt, & linguarum ſe mancipantes diſciplinis, quicquid eſt Philoſophicæ contemplationis, frivolæ damnatum ſubtilitatis nomine faſtuoſo ſupercilio rejiciunt, ad dictata Philoſophica aures inſtar Ithacenſium cerâ ſolidâ obturant, & lyntre quaſi Epicuri ea præterve-

Curt: l. 7. c. 11.

tervehuntur & fugiant. Ratiq; *in mellitis verborum globulis dictisq; papavere & sesamo quasi sparsis ut cum Petronio dicam*, excellere solum pulcrum esse, ea apud alios in virilem disciplinam struunt odia, ut in eam plurimi vesperas quasdam Sicilienses meditari incipiant. Sed has *Teresßias feles*, id est, magnos & ridiculos censores ne quid violemus acerbius, testamur exante, probari nobis omninò judicium magni cujusdam nominis *Critici*, qui cum rerum scientiam verborum jucunditati jungendam pulcherrima conjugatione suasisset, Philosophiam divinum quid esse dicit, judicem veritatis, magistram vitæ, omnium virtutum omniumq; rerum laudandarum parentem; sed eundem se ita statuere, *si qui optimè sciat, non optimè loquatur, plerumq; fieri, ut idipsum quod sciat nescire videatur. Namq; qui scientia non delectentur, res, qui in vocibus sordidi, rerum amittant gratiam.* Equidē puritatem verborū quilibet, cui cor sapientius situm est, cordi sibi esse vel maxime patietur: nec tamen adeò rigidus Philosophiæ censor erit, ut si durius quoddam vocabulum exaudierit, continuo ad arma, clades, incendia conclamet, quibus incessendi illi, quibus in loquendo etiam hirtum aliquid ac subbarbarum sapiat. Ad pedes *Vestæ* Bacchanalia agitare videntur, qui rerum philosophicarum, gravitatem purpurissis semper verborum infucare discupiant. *Sicionios* calceos dicebat *Socrates* ad pedem esse habiles, sed sibi non convenire, quod esset Philosophus: Eadem est ratio cincinnatæ orationis, quâ Philosophus utetur tantū ad necessitatem, Vir civilis etiam ad gratiā, quam etsi hic neglexerit, incivilior, & ille si affectaverit, non habebitur Philosophus. Finxit suo tempore Eloquentiæ *Parens* citra necessitatem vo-

Manut: l. 1. ep. 11.

Cic: l. 3. ep. ad App. Pulcr: ep. 7.

ces *Appietatis & Lentulitatis*, & non licebit Philosophis ad necessaria sapientis animi sensa communicanda vocabulo ê necessitate petito uti. Si *Pythagoras* absq; cibo vivere potuisset, oleribus etiam fortasse abstinuisset: si sua animi sensa aspectu aut demũ minore quam sermonis operâ explicare posset Philosophus, omnino non loqueretur, tantum abest ut de rotando atq; exornando sermo ne cogitaret. Cum choraulos & citharœdos quis accedit, ponat se in auribus: cum Philosophos, sevocet se â sensibus atq; in seipsum, animi mentisque secessus penetret. Assumat illas *Tianei* aures, quibus cum omninò non erat in corpore non terrestrem *Marsyam*, sed *Apollinem cœlestem* divina cithara universi melos ineffabilibus temperantem modis exaudiebat. Quibus auribus si Philosophorum verba libaverit, mellea ipsi ad *Nestoris* invidiam videbuntur. Linguarum scientiâ Philosophus utitur pro medio, non pro rei simplici necessitate. *Philosophatus* est *Plato*, *Aristoteles*, *Averroes*, *sed linguis suis vernaculis*, non adscititio externi eloquij sesamo: *disquirimus interdum* abstrusiora, idq; curate agimus, sed nostro vernaculo idiomate, nullo extero verborum cultu: Ut propterea non statim habendus sapientior, cui delicatius movetur verborum volubilitas, nec ille rusticior, cui abjectius sermo defluit. Sapiens *Philosopho* est qui rerum

1. Metaph.

Proximas atq; immediatas causas aptè explicare ex ijsq; veritatem novit elicere, ac certiorem alijs habet scientiam eò quod exprimis, unde certitudo in scientijs oritur, erutam habet. Linguarum cognitione pro ad miniculo utitur sapiens, ipsam sapientiam rerum sciendarum facultate consistere novit, ad quam nisi se capessierit, nunquam sapientis nomen se occupare

cupare

cupare posse fatebitur. *Habent tamen illi, qui in superficie intellectionum contemplationis nostræ fixêre finem*, quod velut Ajacis clypeũ suæ obtendant supinitati. Ajunt *Neoptolemi dictum apud Ennium esse*, *Paucis Philosophandum esse*. Recte inquam ego, paucis philosophandum est, sed non supine, non obiter, non instar canis ê Nilo bibentis, fugitivè. *Paucis* philoso: est, ne in frivolis nos occupantes minutijs tempus, cujus pretiosissima est jactura, teramus, atq; omnia ita nos penetrare posse credamus, ut cum *Democrito* atomos in aëre posse numerare aut culices cum *Pharisæis* excolare putemus. Quantumcunq; enim â natura se nobis ingerat, semper plus subsidebit inferius, nam ut *Fracastorius* verè ait, natura semper fugiens ubi se paulum ostendit mihi, mox facies in mille repente, Ceu Proteus conversa sequentem eludit & angit, mœrentemq; senijq; horas casfumq; laborem. *Paucis philosophandum est illis*, qui Philosophiâ in superioribus disciplinis uti percupiunt, his per omnium artium, suasu *Ios. Scaligeri* in Jambis gnomonicis, cãpos vagari licet, sed ut mentem ad clariora præparent non occupent: Una enim aucupanda est scientia, vitæ magistra veritatis regula, Quæ fingat animos cultibus sapientiæ: Qui nescit illam perperam is sciat cœteras. At quibus plus temporis in Philosophiam impendere est animus, illis magni cujusdam *Theologi* dictum est instillandum, *Philosophentur quam diu possunt, nimium non possunt. Excellentes Philosophos fore excellentes tandẽ Theologos*. Omnibus tamen ex æquo ita habendum, quicquid in Philosophica disciplina statuere velint, accuratum esse debere non anile, liquidum non vanum solidum non superficiariũ, Nam *cum homine semidocto in omnibus nil sit iniquius*, tum

Scaliger.

Cicero 2. de Or. c. 60.

Senn. de Chym. cõs. c. 10.

Scal. jam. gnom. 20.

Weixelberg. d. 1. ter. Phil.

Cunę Saty. tum in primis semi Philosopho, qui illotis manibus in superiora involans cruda adhuc & ut ita dicam, indigesta sua studia propellit in templa, forum, curiam, & cui putidiusculo magnam sæpe laboris partem semiplena absolvit elaboratio. Atq; ut repræhendendus est, si quis nimium curatè radatur quotidie ad speculum, quod *Africanum* fecisse cognovimus, sic culpandus qui *Patroclem* imitatus lurore ac illuvie sordescens corpus nunquam lavare, manus nunquam abluere, sudorem nunquam detergere sustineat. Consimilem ad modum culpandus is, qui minutissima rerum, etiam umbras perquirere satagat; sed nec laudandus is qui scientiæ Philosophicæ rudi ac luridâ quadam cognitione sufficere sibi desiderat. *Venio ad eos quos impie philosophari dixi. Illos primum*, hic intelligo, qui immensos religionis nostræ agros rationis suæ decempeda metiri & cardines fidei ê ratione evertere allaborant, negantq; esse posse quæ Deus revelavit, eò quod modum eorum talem non assequantur, qualem in sublunaribus sibi offundi perspiciunt. Ne longe abeam, videamus nonnullos, quibus Philosophiæ placita Theologicis mysteriis contra posuisse & hæc ex illis evertisse lubentia est, quã parum pie multa ab illis ê Philo: detorsa, quam incautè rebus sacris applicita? Negant articulum fidei esse posse, qüem non assequatur ratio, negant â Deo proponi credendum incompræhensibile, negant verum esse in quo contradictionis speciem sibi finxerit humana erratio. Quibus dictatis in fidem nostram immissis parum aberit, quin subrutis omnibus solidioris Theologiæ fundamentis in suggrundaria erronearum & paulatim gentilium opinionum sit præcipitandum. Nam si nihil quod rationi

Muret: Orat. 3.

contrà

contrà venit, in sacris est amplectendum, cessare jubeamus tremendum illud fidei mysterium, quo Trinitatẽ in unitate & unitatẽ in Trinitate supplices veneramur, quippe quod adeò sibi relicta ratio respicit, ut meris in eo contradictionibus, velut pueri astralagis, sibi ludum faciat. Hinc clariss. Scripturæ effatis, quibus tres in cœlo testes & eos quidem unum esse edocemur, alienus potius & semiplenus putatur assuendus sensus, ut unitas testimonij, harmoniæ, virtutis, voluntatis, & cujus non potius, quam essentiæ subintelligi asseratur, quam tres in essentiâ una subsistentes esse dicantur. Si contra rationem nihil credendũ, procul esto Apostolus cum magno omnium confessione illo pietatis mysterio, quo DEUM in carne manifestatum veneramur. Id quod novi vitilitigatores ê cœcæ suæ rationis dictamine alto supercilio rident, adeoq; *frigidum esse proclamant, ut strideat trematue velut rigidula Hadriani animula, adeò pallidum acsi fame perijsset sicut Blepsias iste apud Lucianum.* Dogma jactitatur tale esse, quod ê fœtidis Antichristi haustum lacunis moræ atq; obicis sit loco, ne in immensum effusa illa *Turcorum, Persarum*, infideliumq; caterva ad Christi aram sacramentum dicere velit, quod perpetuis se innectat contrarietatibus, cum nec finitum infinito uniri, nec cœlum terræ misceri permittat ratio. Negatur hic porro generatio filij DEI, quæ proclamatur impossibilis, DEOq; ut tribuatur, indigna: Negantur decreta DEI esse idem cum simplici illâ essentiâ, cum contrà se rem habere nostro exemplo constet: Negatur in totũ Christi satisfactio nostri vice præstita, quod gratis peccata remitti dicantur: gratis autem & soluto lytro remitti in contrariorum seriẽ

1. Thim: 3. v. 16.

 dispe-

dispescat ratio. Sic nempe digna pietate abdyta illa fidei nostræ susceptantur mysteria, æternis temporibus tacita, novissimis palàm data, in quæ vel angelis introspexisse lubentia fuerit? Negatur primævæ culpæ ab Adamo in nos vulgata contagio, quod unico actu totum genus hominum infici non potuerit. At præterquam quod hoc & *Ethice*, & *Physice*, *Politicèq́*, *simul* & *Metaphysicè* sit falsissimum, tanquam ad evertenda tamen fidei principia aptissimum ab illis promulgatur. Fuditum est aliquando *Apollinem* tenuis de *Marsya* inepto cantillatore victoriæ ut est apud *Apulejum*: Et hos male philosophantes non pudebit ausu giganteo temeriter præceptæ de fidei mysterijs victoriæ, dum vel cœli arcem sustulisse se posse arbitrantur, modo conficta ratiocinij sui principia sarta tecta reservent. *Protervia est, negare fieri posse, quod vel factum esse, vel facturum se denunciavit DEus*, si modus qúo fiat, nulli se liquido ingerere velit. Quanto sanius gentilis ille *Tullius*, Iniquum est quod accidit, non cognoscere si cur id accidat reperire nequeamus. Noctuinos esse nostros oculos in naturali scientia, in tenui luce caligantes, in mediocri cœcutientes, *Philosophi* ad unum omnes inclamant: Et de rebus divinis judicium eos ferentes patiemur? Cœcutimus quasi in meridie noctis, ut cum *Varrone* dicam, *in his quæ ante pedes sunt*, & *quæ oculis sunt objecta*, *ut sapiens ajt*, *difficulter juvenimus*. Et oculis ob tenebras offusas lucem divini mysterij assequi haud valentibus credetur? Quasi ob ardorem febrientem omnia æstu fervere proclamanti fiat assensio, aut asino de cantu philomelæ judicium ferenti quis assurgat? Negavit aliquando Philosophorum ille facile Princeps, *Aristoteles*, convenire

Apul: l. 1. flor.

de Orat: c. 35.

Scalig: ex. 1. f. 5.

Arist: 2. Meta: c. 1.

Sapient: 9. v. 6.

Arist: 1. de part. anim. c. 1.

nire legi παιδείας homogenea judicari ex heterogeneis: Et nos committemus divina ab humanis δὶς διὰ πασῶν distantia non judicari solum, sed infringi, oppugnari, negari. *Elephanti oportet circumtentos esse corio non suo,* nec plus habere sapientiæ quam caudicali aliquem præfectum provinciæ, qui legis παιδείας prorsus ignari judicium sibi rapiunt de rebus, quarum ad alterum extremum rationis cogitatis nunquam valuêre pertingere. Quid enim est dicere, indignum esse Deum generare, cum quæ ratio sit divinæ generationis, nemo unquam hominum ê ratione ad conjecturã evaserit. Non tulit aliquando pertinax ille Romani nominis osor *Annibal Gisconem quendam,* bellum adversus Romanos magnâ contentione suadentem, sed hominem adhuc dicẽtem de suggesto deturbavit, quod homo imbellis & rei bellicæ nunquam scitus de bello gerendo sermonem serere ausus fuisset. Et nos non ridebimus ridiculos criticastros, qui hoc illudve quasi ê syngrapho in divinis promulgant esse impossibile, cum ad id nec mentis nec oculorum obtutu unquam penetrarint? Bella sane disquirendi ratio, si dies quasi dicenda Sp. S. quod credendum aliquid proponat in quo auribus infundit stolida nostra liriope contradictionis susurrum, quem *rancidulum quidquam balbâ qs de nare locutus* procaciter orto sermone fortasse effuderit. *O curvæ in terris animæ, & cœlestium inanes.* Picturæ hæ ut cum *Scalig.* dicam, effatu quidem perfaciles sunt, sed nullos dignæ habere fautores alios, quam obstipas cervices, solo contemptu prosequendæ, *Quid canis in balneo,* quid ratio proterviens in schola Sp. S.? Vlcus est sanæ Philosophiæ non Philosophia, dignum Herculis istis sacerdotibus, *Potitiis & Pinariis,* quos in

Pla: mil. a. 2. s. 2.

Erasm: l. 5. apopht.

Persius sat. 1.

Pers: sat. 2.

Plaut. Epidic.

 Morbo-

Morboniam relegasse convenerit, ut helleborum ibi expurgitando pravo cerebelli succo natum præstinarent. Absurditatis muriam olet hic Philosophandi modus, non aliter quã *Hircum Gorgonius*. Quippe si hæc *Corinna* est, ad cujus chorum ducenda nobis est saltatio, parum aberit, quin rejecto universo decretorum fidei statuto *Pyrrhonica* primum atq; *Sceptica* dubitandi ratio introducatur, quâ cuilibet de arduis fidei mysterijs dicere non dicere, probare improbare, & ad ultimum τὴν γνώμην ut Græcî ajunt, ταλαντεύειν liceat, postremò Paganismo, Mahometismo omniq; infidelitatis plenario satellitio remis quasi contisq; introducto porta ad desperationem panda & plus quam decumana aperiatur, qua vel cum *Atheo illo Puccio Filidino* artẽ nihil credendi tandẽ profiteri incipias, vel in cõtemtũ sanctissimæ nostræ fidei effusus *Maometico* merdo eam cum impio illo *Imper. Frederico* æquipares, dicendo tres *omnino post hominum memoriam summos in orbe Christiano fuisse impostores, Mosen, Christum, & Maometem.* Hi tandem pulchellæ arboris sperandi sunt fructus, hæ carpendæ ê fœcunda messe segetes, quas legent, quos in impietatem protervia ista quam dixi Philosophica abripiet. *Athenis aliquando contigisse memorat Plutarchus ut Græcus Ægyptio* forte obviarit: cũq; hic nescio quiq velatum sub tunica apportaret, quæsivit iste, ecquid boni ferret: Reposuit hic, Et ideò velatum est, ut tu nescias. Ad similem modum occurrendum illis qui fidei mysteria procaciter insectantur, Et eam ipsam ob rem illa velata esse, ne nos modum eorum noscere queamus. Nobis ea *quæ Deus manifestata esse voluit, non sunt impugnanda, nec ea quæ velata, rimatius investiganda, ne & in illis impie profani, & in his plus justo* curiosi esse deprehendamur. Sunt *præter hos impios*

Lips: l. 9. mon. Pol. c. 4.

l. de amore sui vit.

pios Philosophastros alij, qui profanis opinionum oblectati novitatibus impias & indignas sententias in proscenium adducunt, veluti *qui* cum *Cardano* hominem ē luto promittunt, aut beneficio balneorum, cum *Averroe* vel Spagyriæ, operâ ignis destillatorij cum *Paracelso* educi posse in vulgus spargunt, *Qui* â DEO in hypostaticam unionem irrationalem creaturam assumi potuisse disquirunt: *Qui* gentilium tantũ inhiantes scriptis Critici an Cretici dici gestientes adeò ad sacra nauseant, ut legendo Biblia corrumpere nos bonam dictionem Ciceronianam voce Licinianâ proclament commentationes sacras in Epistolas Paulinas, *quas abjectè quidam epistolaccias vocat*, meditari nugat ajunt Viro gravi indignas, Unam Pindari odam arte antestare vel toti Psalmorum Regij Prophetæ digesto; & quæ similia impietatis plusquam *Lucianeæ* plena apud illos reperimus, Quæ cum animo subeunt, an Christianos putemus eos quos ita in transversum egit gentilitia vanitas? Et tamen nonnulli horum sunt, quibus infulæ in spem honorum sunt datæ, qui in DEI ministerio crediti præcipui purpurâ vestiuntur, quibusq; divini cultus aliàs profanis nec numini initiatis committi non soliti tanquam aptissimis sunt concrediti. Dicendi in hos uberius materies esset, nisi & mihi vitanda esset prolixitas, & ne vobis obreperet audiendi tœdium, subverendũ. Referam me brevibus ad illos *quos obstinatè philosophari dixi.* Eos ajo, qui ad quãcunq; sententiam velut per tempestatem delati fuerint, ad eam tanquam ad saxum adhærescant, neq; cedere ducant in gloriam, ut maxime de sequiori sententia fuerint convicti. *Sunt quos, ita proprij ingenij cepit pervicacia*, ut ab eâ quam semel hauserint, opinione regredi piaculare censeant; Hi nempe sapientiam cum seque-

Scalig: ex. 193. s. 1. Zimara , p. bl. 11. Sennert: de cons. Chy. c. 4, p. 84. Becan: p. 3. Th.Sch. Valentian: T. 4. d. 1. q: 4. p. 1. Vid. Alsted. Encyc. l. 16. c. 4.

Bard: l. 1. Arg. Petro. Saty. ſtri concipiunt animo: Hi ut cum *Petronio* ajam, quod perperam didicere, in ſenectute fateri nolunt; Hi cum *Satyrico* turpe putant parere minoribus & quæ

Horat: Imberbes didicêre, ſenes perdenda fateri. At rectius & ſanius *Ariſtoteles* ubi de id eis diſputationem adver-

l. 1. Eth: c. 6. ſus *Platonem* exorditur, graviſſime monet, eam â Viro Philoſopho veritatis habendam rationem, ut vel iſtius gratia proprias evertiſſe ſententias non addubitet.

Flor. l. 2. c. 15. Verum ut *Cartaginienſes* omnia in bellum adverſus Romanos conflabant, etiam cum proprio damno, aurum argentumq; pro ære, in tormentorum vincula etiam matronæ crines ſuos conferebant: Sic hi meros

Plau. Menæch. ſe *Chironas & Podalirios* credentes, qui vel *Æſculapio* crus fractum vel *Apollini* obligaſſe brachium quirent, omnia ad evertendas potius aliorum conferrent ſententias, modo ne de propria quicquam ceſſiſſe videantur. *Sunt alij* qui in admirationem rapri aliorum ita eorum ſe addicunt authoritatib9; ut eas relinquere flagitij arbitrentur loco, quaſi *qui ſcutum olim apud*

Senn. l. 4. febr. c. 1. *Spartanos amiſiſſet.* Miror, quoties *Alex. Maſſariam* lego, qui ad mirationi Galeni deditus, malle ſe cum eo errare ait, quam cum omnibus recentioribus & Chymiſtis verum ſentire. *Miror Philoſophum quendam* non

Maſ. in l. 4. Phyſ. c. 5. q. 3. imi alias commatis, neq; infimi omninò judicij, qui authoritate *Thomæ & Ariſtotelis* ſe motum locum dicere ſuperficiem ait. Non diſſimilis mens eſt eorum qui ſe maxima Eccleſiæ jactitant columina eſſe, quibus animus ſedet *potius cum univerſis patribus errare, quam cum neotericis quos ipſi ſalutant hæreticos, verum ſentire.*

epiſt. 42. Quanto rectius *Seneca*, bonus inquit animus, nunquam erranti accommodat obſequiâ, *nec valet quicquam, hic vel ille dixit.* Quid non de his dicamus, quod

Scali-

Scaliger alicubi de servilibus hisce ingenijs, Turpis & misera est servitus, ex intellectu quem rerum omnium DEus fecit dominum, mancipium facere alienæ libidinis. Non hoc est lepide in geniatum esse, ut cum *Apulejo* dicam, non amussitata hæc atq; ingenua indoles, ut cum *Comico*. Idolum cerebri est alterius, quod adoras, & id quidem vecors sæpe & ex succum, suâ ad huc authoritate quam solidâ ratione valentius: Quod si obtinere debeat, rejectâ verâ philosophandi ratione *Pythagoreum* aliquod αὐτὸς ἔφα introducendũ, & quicquid *crassi aliquis succi Orbilius* protelarit, pro auro gẽmaq; habendum. Philosophi est *Socratice* philosophari, id est, libere non ad alius sententiam ligate, rationũ potius quam authoritatum momenta ut Cicero ait, vestigare. *Neq; enim ulla est authoritas, nisi quam rationes ipsæ Viris ingenio & judicio præstantibus conciliaverint.* Plura non dicam in perversam hanc rationem, quæ hominum prudentiorum damnans cogitata, ratione destituta & vanitate sui sæpius elusa inanes tamen ac arrogantes spes subjicit temerariorum animis, atq; inutili φιλαυτίας affectatione suspendit imprudentes.

Scalig: ex. 307. s. 3.

Plau: mil. a. 3. s. 1.

Apul. l. 4. flor.

1. de na. de.

Taurell: præf. in Cæsal. & l. 3. c. 1. §. 8.

Subjungo ad ultimum eos, *quos lupinè Philosophari dixi.* Hi illi, qui non se posse adversus alterius adversari sententiam autumant, nisi *lupine* dissentiant, id est, animo penitus averso & odijs pleno, ut non aliter se opinionem alius infingere posse arbitrentur, quam ut authorem sententiæ *pejus quam fullo ululam, oderint, & furno potius mersum quam foro cum illo apud Comicum exoptent.* Nata hinc *convitiorum illa strues*, quibus multis magnam scriptorum partem fanatica calumniandi absumit molitio. Nihil nempe in publicum mit-

Plaut: epid. a. 1. s. 2.

cum mitti debere sentiunt, nisi convitiorum mole probe differtum. Ortus hinc *immensus ille carpendi pruritus*, & compositis ad despectum dicterijs procaciter insectandi ardor, quo ut capræ nunquam sine febri esse feruntur, sic his nunquam desint convitia, cum hanc summam scriptorum laudem arbitrentur, si varijs maledictis quà licet, quà non licet, alios impetant. Cogitarent sane hi, quod ab *Aristotele* est proditum, aliud esse ὁμόνοιαν aliud ὁμοδοξίαν. Diversum sentire de rebus ijsdem incolumi licere amicitia. Cogitarent litterarũ eam esse rationem, qua de *Taxiles ad Alex. M.* si superior sit alijs, *debere ipsis benefacere, si inferior, debere beneficiũ ab illis accipere.* Ita si contra indoctiorem scribatur, doctrinam illi cõmunicandam, sin contra doctiorem, ab eo sumendam. neutrum convitijs incessendũ esse. De *Galbæ* informi gibbo corpore olim diverbio jactatum, *Galbæ ingenium male habitare*: At horum longe pejus habitant ingenia, *qui meliores probris impetere malint quam imitari, & quorum desperant similitudinem, eorum affectent simultatem.* Convitiandi pugnam cum Catone iniquam sibi esse fatetur Philosophus: male audire istos ex facili & dicere, sibi & dicere esse molestum & audiendi esse insolitum. Habetis summatim, *Audit. lectissimi*, quid de protervo philosophandi modo sit habendùm: Ex quo quasi de culmo fruges æstimare potestis. Excellere poterunt qui ad eum philosophantur modum, simul imis saxa renarint vadis levata: quandoq; Padus Mutina laverit cacumina, aut celsus in mare Apenninus procurrerit. Perijsse credendum est Germanam Philosophiam, ubi pestilentia hæc *sidera supine puto, impie, obstinate & lupine Philosophandi*, meliora afflarunt ingenia. De cœlo, si Dijs

Erasm. l.4. apoph.

Macrob. l.2. satur. c. 6.

Apul. l. 1. flor.

Lips. in cõcl. d Virginis sichemicns.

Horat. epod. 16.

si Dijs placet, lapsos hujus philosophiæ Doctores suis Discipulis tradituros putandum est verborum iliadem errorum odysseam. Atq; ut *priscis verbis utar, imbelliam, imparentiam, impolitiam, meramq́; cum Lavernæ sacris inscientiam.* Qui inter hos nutriuntur non magis dicente *Petronio, sapere possunt quam benè olere qui in culinis habitant.* Miseros qui tales nacti informatores eorum se credunt doctrinæ, pendebunt pulchrè, qui ab eâ transennâ turdi lumbricum petent. Imprudentes eos, qui suos talibus adjungunt: eadē operâ columbas accipitrib. pullos milvijs, & oves committent lupis. Aliter sedet Apollo illis, qui erectioris paulò sunt supercilij: Illi Philosophandum sibi ducunt, sed *piè*, ne quid contra fidem, sed *accuratè*, ne quid contra sensum aut rationem, sed *liberè*, ne quid temeriter pro authoritate vel propria vel aliena, sed modestê, ne quid contra humanitatem committatur. Sint proindè & pia & modesta, sint attenta atq; erecta nostrum omnium studia, ferveant docentium discentiumq; coeuntium turbæ: Gratulabimur Camœnis ad nos reversionem parantibus: Gaudebimus sacrissas fractas, lanceas remotas, & armorum sævientes strepitus nunquam nobis exaudiri lœtabimur. Vtinam nunquam streperas eiaculationes nostræ urbi imminere permittat DEus! Vtinam ad feralium machinarum tonitrua nunquam nobis sit expallescendum. Precabimur cum *Lyrico, ut fides, & pax, & honor pudorq́; priscus, & neglecta redire virtus ausit appareatq́; beata pleno copia cornu,* Dicemus felicem diem & pulchram fugatis Lyceo nostro inscitiæ tenebris: Emoveat ætas nostra, quod de *Augusti* pronuntiat idem, culpas & veteres revocet artes, per quas

Petr: Satyr: p. 2.

Hörat: epo. ult.

Hora: l. 4. od. 15.

Latinum nomen & Imperij porrecta majestas ad ortū Solis ab Hesperio crevit cubili: Colant submisso Martio furore atq; admittant gentes blandas illas Minervales divas, & quæ Nilum fontium celantem origines accollunt, & quæ Istrum, rapidumve Tigrim & Tanaim prope flumen ortæ. Custode rerum supremo numine *non furor civilis aut vis eximat literarium otium, non ira quæ procudit enses, aut miseras inimicat urbes.* Sed exemplo licentiaq; quā fecerunt Amplissimi nostri Mecænates, & proporrò facient, *eant Musæ peroptimatium domos, misceant se juventutis colloquiis & provectiorum seria utilissimè excolant,* Dicatur de nostro Gymnasio, quod de Cartaginensium *Apuleius; Apud Cartaginenses omnem disciplinam pueri discunt, Juvenes ostentant, senes docent:* Largiatur nobis Deus, halcyonia perpetuæ quietis, ut in omnibus gentibus prout de *Augusti* ævo Historicus, *continua & jurata quasi pax sit aut pactio:* ut suave illud Musarum consortium in circumacta jam fermè præcipitantis ævi periodo, maneat nobiscum, *dum cælum sidat inferius mari,* tellure porrecta super, dum pecori lupus, & nautis infestus Orion turbet hybernum mare, intonsosq; aura Apollinis agitet capillos. Sit Dn. DEUS noster nobiscum, & benedicat studijs nostris, illustret faciem suam erga nos maximè, ut salutem ejus in gentibus agnoscamus: Sint actiones docentium discentiumq; gratæ ipsi & opera manuum nostrarum accepta habeat: Sit nobilis in nostra Iehuda DEUS, in Israele magnum nomen ejus, sit tugurium ejus Schalemi nostri, & habitaculum in Zione nostra.

Hora. l. 4. od. 14. 15.

Barcl. Præf. Arg.

Apul. l. 4. flor.

Flor. l. 4. c. 12.

Hora. ep. 5.

Hor. ep. 15.

Hæc

Hæc hactenus: ad tuum, Rerer. ac Exc. Dn. D. Director Gym: nostri dignissime, sermonem ut pauca reponam, quæ de industriâ concordiaq; servandâ sunt dicta fibritus amplector. Sedulitas cordi erit vel maxime, nec facile torpor subibit, quò lentum mortui instar, inter vivos ambulare sit placitum, in patrio cumprimis sola, cui labores sacrare vel optimus quiq; cûm Ulysse cûpierit: Pacis præterea mihi ingenium esse exante profiteor, dicq; sæpê cum Satyrico *Jupiter ut pereat positũ rubigine ferrũ*, nec quisquã noceat cupido mihi pacis. Sed ut concordia non in nostrum solùm ingeniis, sed ipsorum quoq; quibus cum conversamur, est sita: Ita perspectis mihi clarissimorum Dnorum. Collegarum animis tacitus benè ominor, fore, ut pace atq; literario otio jucundè nobis transfigatur quodcunq; hujus ævi est, *tantumq; ad pacis stabilitatem nos provecturos auguror, quantum imbelle bellum, quale nostrum litterarium, honestâ contentum modestiâ, sanguinem, rixas contentiones non requirit.* Procul absit â nobis, cui *non pudor est fidos collidere fraude sodales, aut Aesoniâ manu dira duella serere.* Infaustam compescat *Nemesis* pestem, quæ venenatæ linguæ spicula fraude dolisq; parata figere fatagat. Procul absint mala factionum, procul contendentium atrocitas! amor nos jungat plus qua Paphius & Pyladea quædam amicitia: Conveniant Lælii & Scipiones, quos ad senium inviolatos grata conformitas deducat. Quisq; eam vitæ rationem subire destinet, ut *famam in posteris celebratam ne mors quidem destituat*, sed *æternam hanc præstet historiæ genius, quam in gentibus sparsam* nulla vis, nulla valeat ætas extinguere.

Horat: l. 2. sat. 1.

Vobis

Vobis deniq; *Nobilissimi & perquam Magnifici Viri* grates primum solvendæ sunt, pro honorata mihi functionis sustinenda destinata vocatione: Quam utinã ornare pro cujusq; expectatione, meaq; omninò aviditate possem; *Tum omnibus simul,* AUDITORES EXOPTATISSIMI, grates ut cum *Comico* loquar grandes solidasq; deberi ducimus, quod relictas res omnes & operas habere cupientes nostris hisce dissertationibus interesse, placidâq; auscultatione favorem in litteras demonstrare sustinueritis. Solveremus grates eas verbis prolixioribus nisi & tædium audiendi extimescendum, & prolixo jam tum sermone detenti fuissetis, *trahente me catenâ quadam cohærentium inter se rerum,* unde facta oratio prolixior, dum materia trusit materiem, & vara suam secuta est vibiam. Ita tamen habetote, *si verbis parum cumulatè grates soluisse videamur, amplius vestrum nobis præstitum videri officium, quam ut verborum hostimento compensari posse putemus.* Gestit animus tenaci illud condere memoria, studiumq; suum vel agnoscendo illo vel prædicando curatè declarabit. Et quam grata istius æstimatio ipsi sit allapsa, officijs factisq; erga vestrùm unumquemq; indicabit, ubicunq; factis se munem demonstrare tulerit occasio. Quicquid præstiterit, vestro meritorum officio minus esse fatebitur, Valite felices, nostraq; ut hactenus ita de cœtero opera vestro favore animare pergitote.

FINIS.